

sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam. *PA.* haud diust.

CH. perii, numquamne etiam me illam vidisse! eho dum 360 dic mihi:

70 estne, ut fertur, forma? *PA.* sane. *CH.* at nil ad nostram hanc? *PA.* alia rest.

CH. obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar. *PA.* faciam sedulo ac

dabo operam, adiuvabo: numquid me aliud? *CH.* quo nunc is? *PA.* domum,

ut mancupia haec, ita ut*(i)* iussit frater, ducam ad Thaidem.

CH. o fortunatum istum eunuchum quicquidem in hanc 365 detur domum!

75 *PA.* quid ita? *CH.* rogitas? summa forma semper conservam domi

videbit conloquetur aderit una in unis aedibus,
cibum non numquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.

PA. quid si nunc tute fortunatu' fias? *CH.* qua re, Parmeno?

responde. *PA.* capias tu illi(u)s vestem. *CH.* vestem? 370 quid tum postea?

80 *PA.* pro illo te ducam. *CH.* audio. *PA.* te esse illum dicam. *CH.* intellego.

PA. tu illis fruare commodis quibu' tu illum dicebas modo:
cibum una capias, adsis tangas ludas propter dormias;
quandoquidem illarum neque te quisquam novit neque scit qui sies.